

**Zeitschrift:** Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie  
**Band:** 24 (1910)

**Artikel:** Quaestio secunda primae partis Summae theologiae [Fortsetzung]  
**Autor:** Prado, Norbertus del  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-762090>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

**Download PDF:** 14.03.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

## QUAESTIONEM SECUNDAM PRIMAE PARTIS SUMMAE THEOLOGICAE AN DEUS SIT

INTERPRETATUS EST FR. NORBERTUS DEL PRADO O. Pr.  
(Sequitur. Vid. vol. XXIII. p. 438.)



Articulus tertius.

Utrum Deus sit.

I. Praenotanda.

1. Ostendere ac demonstratione proprie dicta probare existentiam Dei nihil aliud est nisi scientifice demonstrare, quod haec propositio, quam de Deo formamus, cum dicimus Deus est, vera est. Ex Articulo primo constat, nos non habere intuitionem huius propositionis Deus est, ut quidam cum S. Anselmo posuerunt. Praedicatum siquidem idem est cum subiecto propositionis; cum Deus sit suum esse atque in Deo realiter identificetur essentia et existentia, id quod est et esse. Verumtamen haec propositio, Deus est, non innotescit nobis ex sola penetratione terminorum, sicut innotescunt prima principia nostrae cognitionis ac veritates per se et immediate evidentes, sed indiget demonstrari per alia, quae sunt magis nota quoad nos. Et antequam non ostenditur Deum esse, nequit ostendi in Deo identificari existentiam et essentiam. Ex Articulo secundo constat, hanc propositionem Deus est posse demonstrari esse veram ac certissimam. Quibus autem viis existentia Dei probari possit, in hoc Articulo tertio declaratur.

2. Deum esse, ut supra manet indicatum, dupliciter intelligi valet. Uno modo, ut Deus est Auctor naturae; alio modo, ut Deus praeterea est Auctor gratiae. Primum dicitur praeambulum ad articulos fidei, alterum est unum ex primis credibilibus iuxta illud Apostoli ad Hebr. 11, 6: „Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est.“ Primum continetur in secundo; at secundum non includitur in primo, cum agatur de nostra cognitione. Secundum tantummodo fide tenetur; primum et fide tenetur et

ratione demonstratur, quamvis fides et scientia de eodem stare simul nequeant in eodem. Nam quam cito aliquid incipit esse praesens vel apparens per evidentiam, non potest ut obiectum subesse actui fidei. (1. 2. qu. 67 a. 3; 2. 2 qu. 1. a. 41; de Verit. qu. 14 a. 9). Existentia Dei, ut Auctor est ordinis supernaturalis, a nulla scientia probari potest, neque a Philosophia neque a Theologia, sed pure creditur, et sic est proprie subiectum Sacrae Doctrinae. Existentia autem Dei, ut Auctor est ordinis naturalis, probatur a Philosophia Prima, quae Metaphysica nuncupatur, et probari valet argumentis demonstrativis. Unde D. Thomas in Compendio Theologiae cap. 2: „Circa essentiae quidem divinae unitatem primo quidem credendum est Deum esse: quod ratione conspicuum est.“

3. Cognitio autem Dei, ut Auctor naturae est, in duplici habetur differentia, scilicet: Cognitio quaedam communis et confusa, quae quasi omnibus hominibus adest; 2. cognitio alia Dei, altior, et distinctior, per quam magis ad propriam Dei notitiam accedimus. De prima cognitione scribit D. Thomas lib. 3 contra gentes c. 38: „Naturali ratione statim homo in aliqualem Dei cognitionem pervenire potest. Videntes enim homines res naturales secundum ordinem certum currere, cum ordinatio absque ordinatore non sit, percipiunt, ut in pluribus, aliquem esse ordinatorem rerum, quas videmus. Quis autem vel qualis, vel si unus tantum est ordinator naturae, nondum statim ex hac communi consideratione habetur; sicut, cum videmus hominem moveri et alia opera agere, percipimus in eo quandam causam harum operationum, quae aliis rebus non inest, et hanc causam animam nominamus, nondum tamen scientes quid sit anima, si est corpus, vel qualiter operationes praedictas efficiat.“ De altera autem cognitione ipse Angelicus Doctor loquitur, cum in lib. 1 contra gentes atque in Art. 1 antecedentis quaestionis ait: „Veritas de Deo per rationem investigata, a paucis hominibus et per longum tempus et cum admixtione multorum errorum proveniret“, nisi homo instrueretur etiam de his per divinam revelationem.

4. Propter primam communem, quam de Deo habemus cognitionem, omnes homines usum rationis habentes possident quandam sive moralem sive etiam physicam certitudinem de existentia Dei. Haec autem certitudo oritur: 1. ex eo, quod naturali ratione statim homo ex simplici

consideratione mundi sensibilis in aliqualem cognitionem Dei pervenire valet; 2. etiam ex communi et universalissimo hominum omnium consensu; 3. ex quadam in hominibus naturaliter insita, ex qua homines certo iudicium ferunt de rebus quibusdam, priusquam earum veritas menti sese offerat explicita ac perfecta perspicuitate. Providus namque naturae ipsius Auctor inseruit intellectui nostro hanc vehementem inclinationem ad amplectendas quasdam nobilissimas ac necessarias veritates, inter quas eminet haec, de qua loquimur, nimirum: Deus est. Ad rem praeclare ac profunde D. Thomas lib. 1 Phys. lect. 9: „Verum enim est bonum intellectus, ad quod naturaliter ordinatur: unde sicut res cognitione carentes moventur ad suos fines absque ratione, ita interdum intellectus hominis quadam naturali inclinatione tendit in veritatem, licet rationem veritatis non percipiat.“

5. Cuncti itaque rationis usum perfecte habentes tendunt in veritatem existentiae Dei et ponunt Deum esse „sicut ab ipsa veritate coacti“. Quod quidem asserere videntur et Sacrae Scripturae et Ecclesiae Patres atque ipsi philosophi gentiles. Psalm. 18, 1: „Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum.“ Eccli. cap. 43, 1—12: „Altitudinis firmamentum, pulchritudo eius est; species coeli in visione gloriae. Sol in aspectu annuntians in exitu; vas admirabile, opus Excelsi . . . Magnus Dominus, qui fecit illum . . . Vide arcum, et benedic eum, qui fecit illum; valde speciosus est in splendore suo. Gyra vit coelum in circuitu gloriae; manus Excelsi aperuerunt illum.“ Et Iob cap. 36, 25—32: „Omnes homines vident eum; unusquisque intuetur procul. Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram; numerus annorum eius inaestimabilis. Qui aufert stillas pluviae, et effundit imbres ad instar gurgitum . . . In manibus abscondit lucem; et praecipit ei, ut rursus adveniat.“

Hanc vocem rerum omnium de existentia Factoris ipsarum testimonium perhibentium summopere ponderant S. Patres, quos inter Augustinus de Verbis Domini cap. 1 et 2: „Interroga mundum, ornatum coeli, fulgorem, dispositionemque siderum, solem diei sufficientem, lunam noctis solatium; interroga terram . . . Interroga mare . . . Interroga aëra . . . Interroga omnia, et vide, si non sensu suo tamquam tibi respondent: Deus nos fecit.“ Confess. lib. 1 cap. 6; de Civit. Dei lib. 11 cap. 4. Et Enarrat. in



Psalm. 41 et alibi. Athanasius in orat. contra gentes: „Quemadmodum referunt de statuario Phidia, quem sua opera ex commensione et proportione partium inter se, etiam absentem extraque contutum positum repraesentarent; ita quoque ex mundi ordine Opifex et Conditor Deus intelligendus est, tametsi corporis oculis spectari nequit.“ Et Tertullianus Apolog. cap. 17 ex animae ipsius humanae testimonio ita comprobatur: „Deum nominat hoc solo nomine, quia proprio Dei veri: Deus magnus, Deus bonus, et quod Deus dederit, omnium vox est. Iudicem quoque contestatur illum: Deus videt, et Deo commendo, et Deus mihi reddet. O testimonium animae naturaliter christianae! — Denique pronuntians hoc, non ad Capitolium, sed ad coelum respicit. Novit enim sedem Dei vivi; ab illo et inde descendit.“ Et Tullius: „Quis est tam vecors, qui cum in coelum suspenderit, non sentiat Deum esse.“ Et iterum Tusc. lib. 1: „Nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiam si ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.“ Et lib. 1 de natura deorum hanc de existentia Dei fundamentalem veritatem vocat „anticipationem naturae, quia sine doctore, sine more, sine lege, omnibus nota est.“ Et Seneca lib. 1 de ira: „Mentiuntur, qui dicunt, se non sentire esse Deum; nam etsi tibi affirmant interdum, nocte tamen et soli dubitant.“

6. Etsi ad hanc communem Dei cognitionem habendam minime requiratur, quod argumenta huius Articuli tertii rimentur ac mente perfecte penetrentur; attamen dici potest, quod huiusmodi cognitio Dei importat quandam etiam communem ac confusam cognitionem quinque viarum, quibus Deum esse probari potest. Singulae quippe viae hae fundantur supra aliquod factum sensibile, quod universis habentibus usum rationis apparet notissimum. Prima enim via sumitur ex facto motus; et „certum est et sensu constat aliqua moveri in hoc mundo“, ait D. Thomas. Secunda autem via sumitur ex facto corruptionis et productionis rerum, quod etiam „invenimus in istis sensibilibus“. Tertia autem via sumitur ex facto contingentiae, quod etiam apparet „in rebus... cum quaedam inveniuntur generari et corrumpi.“ Quarta autem via ex gradibus, qui in rebus quoque sensibilibus inveniuntur. Quinta porro via sumitur ex ordine, quem „videmus“ in his etiam, quae carent cognitione et tamen operantur propter finem. Ex

praedictis ergo factis, quae sensu constant, atque ex principio causalitatis, quod omnibus est notum, tametsi quinque viae perfecte non capiantur, tamen intellectus humanus sub quadam confusione sive caligine et a longe, ut ita loquamur, valet iam aliquantulum perspicere legitimam illationem illorum quinque attributorum, sub quorum nomine Deus designatur, et quae non nisi soli Deo convenire ex ipsa attributorum quidditate postea erunt declaranda. Unde per ipsam communem Dei cognitionem, ad quam homo statim aliquantulum assurgit, iam etiam aliquantulum apparet, quod 1. Necesse est devenire ad aliquod primum movens, quod a nullo movetur: et hoc omnes intelligunt Deum. 2. Necesse est ponere aliquam causam efficientem primam, quam omnes Deum nominant. 3. Necesse est ponere aliquid per se necessarium, non habens causam necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis aliis: quod omnes dicunt Deum. 4. Necesse est ponere aliquid, quod omnibus entibus est causa esse et bonitatis et cuiuslibet perfectionis: et hoc dicimus Deum. 5. Necesse est ponere aliquid intelligens, a quo omnes res ordinantur in finem; et hoc dicimus Deum.

7. Eo igitur modo, quo Deus per lumen naturalis rationis a nobis cognoscitur, cognoscuntur pariter quinque ipsaemet viae, quibus Deum esse probari potest. Ut autem assequi valeamus cognitionem Dei altiore, distinctam, philosophicam ac revera scientificam, oportet praedictas quinque vias bene agnoscere, a radice capere, ascendere et descendere, et frequenter perambulare. Hic iaciuntur fundamenta pro integro tractatu de Deo Uno perficiendo atque pro tractatu de Deo Creatore firmiter solideque stabiliendo et elaborando. Perfecta ac verissima, quam de Deo efformare possumus notionem ex quinque attributorum notione in his quinque viis delineata pendet, eruitur et patescit. Statim ex his quinque praedicatis fundamentalibus pervenitur ad affirmandam identitatem essentiae et existentiae in Deo; atque ex hac omnimoda reali identitate, quae summitatem quinque viarum constituit, legitime et rigore deducuntur omnia ac singula, quae de Deo per lumen solius rationis vere affirmamus vel negamus. Et denique ex ipsa vera ac perfecta idea inchoata in his quinque viis declarata atque complete evoluta per totum tractatum de Deo Uno, descendit D. Thomas pede firmo et securo ad veritatem creationis

statuendam ac rigore scientifico inferendam ac comprobendam, dum in qu. 44 respondet dicendum: „Omne ens, quod quocumque modo est, a Deo esse“, ut a Causa efficiente et exemplari et finali omnium rerum. Atque inde procedit ad concludendum in qu. 55 a. 2, quod: „Non solum non est impossibile a Deo aliquid creari ex nihilo, sed necesse est ponere a Deo omnia creata esse, ut ex praemissis habetur qu. praecedenti a. 1.“ En finis ac consummatio quinque viarum quibus Deum esse probari potest! Ecce, inquam, quare identitas esse et essentiae in Uno, quod est Deus, et realis distinctio esse et essentiae in omnibus praeter hoc unum, quod solus Deus est, alta voce est a nobis proclamanda Veritas fundamentalis totius Philosophiae Christianae, quae est ipsissima philosophia D. Thomae.

8. Quinque itaque viae, quibus D. Thomas probat Deum esse, non sunt viae causarum univocarum, sed causarum analogarum; nec sunt viae causarum subordinatarum per accidens, sed causarum subordinatarum per se in productione quorumcumque effectuum. Etenim impossibilitas procedendi in infinitum in moventibus et motis et in causis efficientibus intelligenda est iuxta D. Thomam de causis efficientibus non univocis, sed analogis. 1. Quoniam non potest demonstrari impossibilitas procedendi in infinitum in serie causarum univocarum. 2. Quoniam omnes causae univocae habent gradum unum in causis efficientibus, scilicet „gradum causae particularis“. 3. Quoniam, etiam supposita et admissa causa prima univoca, minime adhuc habetur idcirco Deus, qui est Prima Causa omnium rerum, non univoca, sed analogica. 4. Quoniam in hisce quinque viis agitur de causis efficientibus inter se essentialiter subordinatis ad producendum aliquem effectum particularem ac determinatum; et in serie causarum univocarum, quamvis unum pendeat ab alio, a quo productum fuit, pendet quidem in ratione effectus, minime tamen pendet ab illo in ratione causae ad producendum novum effectum. Unde agitur de moventibus et motis et de causis efficientibus „simul agentibus et simul moventibus“; atque inter has causas, quae sit illarum prima. Ita D. Thomas ipse 1 P. qu. 46 a. 2 ad 7 et lib. 2 c. gent. c. 38.

9. Unde processus in via moventis et' moti et in via causarum efficientium nequaquam est ex homine ad alium

hominem, a quo alter procedit; vel ex una gallina ad aliam gallinam; vel ex una planta ad aliam plantam; atque ita porro procedendo in singulis individuorum speciebus. Puerilis enim est hic procedendi modus atque ab altitudine Philosophiae Primae valde alienus. Per hanc viam a) non repugnat processus infinitus; b) deinde, dato quod repugnet, haberetur aliquis primus homo non generatus ab homine, sed causatus ab alio, qui homo non est; sed de quo oporteret iterum inquirere et processum statuere in nova serie causarum; c) et denique quoniam, ut D. Thomas locis supra citatis scribit „accidit: huic homini, in quantum generat, quod sit generatus ab alio. Generat enim in quantum homo, et non in quantum est filius alterius hominis. Accidit enim patri Socratis, quod sit alterius filius vel non filius.“

10. Quamobrem in his quinque viis, quibus Deum esse probari potest, D. Thomas ut verus sapiens prudentissime se gerit, dum abstrahit ab elemento temporis et ab initio temporis, in quo rerum universitas fuit condita. Primo quidem, quia prius et facilius est demonstrare existentiam Dei, quam demonstrare ipsum factum creationis rerum omnium. Demonstratio creationis importat et iure supponit iam demonstratum: 1. Deum esse; 2. Deum esse ens incorporeum, immateriale, omnino simplex, per essentiam bonum, aeternum, omnipotens, qualem Deum esse tenemus et per totum tractatum de Deo uno Angelicus Doctor magnifico ac processu rigoroze scientifico ostendit. Deinde autem, quoniam ut D. Thomas infra qu. 46 a. 1 probat: „Mundum non semper fuisse, sola fide tenetur, et demonstrative probari non potest; sicut et supra de mysterio Trinitatis dictum est (q. 38. a. 1.) . . . Mundum incepisse est credibile, non autem demonstrabile vel scibile.“ Ac tandem argumenta omnia pro ostendenda repugnantia aeternitatis mundi non necessario concludunt, ut D. Thomas tradit et manifestat loco citato, et in opusculo de aeternitate mundi Angelicus Doctor asserit, mundum semper fuisse non involvere contradictionem, et ait, quod neque Augustinus nec nobilissimi philosophi hanc repugnantiam viderunt. Quapropter removenda sunt tamquam elementum scientificum valde dubium vel incertum argumenta, quae afferuntur ad probandam impossibilitatem aeternitatis mundi; et nequaquam miscenda erunt cum hac quaestione



gravissima, in qua certo et evidenter oportet ostendere Deum esse.

11. Istae ergo quinque viae argumenta quinque sunt, quibus necessario concluditur, „esse Primum Motorem omnino immobilem et Primam Causam“, qui Deus est; etiam ex suppositione aeternitatis motus et aeternitatis mundi, cuius initium in tempore et cum tempore nos habemus aliunde, nempe ex divina revelatione. Unde Thomas lib. 1 contra gentes cap. 13: „Via efficacissima ad probandum Deum esse est ex suppositione aeternitatis mundi: qua posita, minus videtur esse manifestum, quod Deus sit. Nam si mundus et motus de novo inceptit, planum est, quod oportet poni aliquam causam, quae de novo producat mundum et motum; quia omne, quod de novo fit, ab aliquo innovatore oportet sumere originem, cum nihil educat se de potentia in actum vel de non esse in esse.“ Ac similiter lib. 8 Phys. lect. 1: „Haec enim via probandi Primum Principium esse est efficacissima, cui resisti non potest. Si enim mundo et motu existente sempiterno necesse est ponere unum Primum Principium, multo magis sempiternitate eorum sublata; quia manifestum est, quod omne novum indiget aliquo principio innovante. Hoc ergo solo modo poterat videri, quod non est necessarium ponere Primum Principium, si res sunt ab aeterno. Unde etiam si hoc posito sequitur Primum Principium esse, ostenditur omnino necessarium Primum Principium esse.“

## II. Quinque viae.

### Prima via.

Conclusio 1. Necesse est devenire ad aliquod Primum Movers, quod a nullo movetur; et hoc omnes intelligunt Deum.

Prima autem et manifestior via ex quinque, quibus Deum esse probari potest, sumitur ex parte motus, atque per eam devenire oportet usque ad Primum Movers immobile.

Initium vero huius primae viae est factum sensibile et omnibus notum. Certum est enim et sensu constat, aliqua moveri in hoc mundo. Consideratur itaque velut initium ad procedendum per hanc viam et ad assurgendum deinceps

+ hic deest aliqua pars textus S. Thomae, videlicet:  
 « motus mundi, non autem sic ex suppositione »  
 sec. ed. Taurinensem (Marietti (1922))

usque ad Primum, quod a nullo movetur, potentia passiva rerum sensibilium, quas videmus. Potentia autem passiva est aptitudo rei ad aliquid recipiendum. Dum res quaelibet recipit, quod non habebat, mutatur. Quod mutatur, revera movetur. ✱ Mutatio itaque sive motus fit, quatenus aliquis actus seu perfectio additur potentiae rerum mutabilium, id est rebus ipsis, prout sunt subiectum aptum et potens realitatem aliquam actualem acquirendi sive recipiendi.

Unde motus, ex cuius parte sumitur prima via, potest accipi et revera hic intelligitur non solum motus localis, verum etiam quivis transitus ex potentia in actum. Idcirco mobile nunc idem valet ac mutabile de potentia in actum, immobile autem idem ac immutabile, et movens idem atque causa, quae adducit aliquid ad perfectionem actus.

Primus gradus viae: Omne quod movetur, oportet ab alio moveri, seu Omne quod movetur, ab alio movetur.

Secundus gradus viae: In moventibus et motis per se ordinatis non est procedere in infinitum.

Terminus viae: Ergo cum certum sit et sensu constet, aliqua moveri in hoc mundo, necesse est devenire ad aliquod primum movens, quod a nullo movetur: et hoc omnes intelligunt Deum.

Ostenditur primus viae gradus. Movere enim nihil aliud est quam educere aliquid de potentia in actum, et moveri nihil aliud quam aliquid, quod est in potentia, in actum transferri. Unde movet aliquid, secundum quod est actu, et nihil movetur, nisi secundum quod est in potentia ad illud, ad quod movetur. Non est autem possibile, ut idem sit simul in actu et potentia secundum idem, sed solum secundum diversa. Quod enim est calidum in actu, non potest simul esse calidum in potentia, sed est simul frigidum in potentia. Ergo impossibile est, quod secundum idem et eodem modo aliquid sit movens et motum vel quod moveat seipsum; etenim idem esset simul in actu et potentia secundum idem. Ergo sicut de potentia non potest aliquid reduci in actum nisi per aliquod ens in actu, ita omne, quod movetur, oportet ab alio moveri.

Ostenditur secundus viae gradus. Quoniam si omne, quod movetur, ab alio movetur, in moventibus et motis



per se subordinatis qui dat, accipit, et qui educit de potentia in actum, educitur, et qui movet, movetur; atque ideo ratio sufficiens motus, qui est transitus de potentia in actum, non habetur, quousque habeatur motio descendere ab aliquo immoto, ab aliquo, qui dat, sed non recipit, ab aliquo, qui educit de potentia in actum, sed non educitur. Ac proinde in capite omnium, quae transeunt de potentia in actum, oportet ponere Actum Purum. Et hoc est, quod D. Thomas declarat, cum ait: „Si ergo id, a quo movetur, moveatur, oportet et ipsum ab alio moveri, et illud ab alio. Hic autem non est procedere in infinitum; quia sic non esset aliquod primum movens et per consequens nec aliquod aliud movens; quia moventia secunda non movent nisi per hoc, quod sunt mota a primo movente, sicut baculus non movet nisi per hoc, quod est motus a manu.“

Praeterea in moventibus et motis per se ordinatis, omne movens motum, reduplicative in quantum est motum, habet rationem instrumenti respectu illius, a quo movetur. Si ergo non datur Primum Movens, quaecumque movent, sunt etiam mota; igitur omnia moventia et mota, etiam infinita si darentur, erunt instrumenta. „Ridiculum est autem etiam apud indoctos, ponere instrumenta moveri, nisi ab aliquo principali Agente; simile enim est hoc, ac si aliquis circa constitutionem arcae vel lecti ponat serram vel securim absque carpentario operante. Oportet igitur Primum Movens esse, quod sit omnibus supremum, et hoc dicimus Deum.“ D. Thomas, Comp. theolog. seu tract. de Fide, cap. 2.

Denique: De ratione motus est habere principium, vel originis tantum, si motus supponeretur aeternus, vel tam originis quam durationis, si supponatur in tempore. Unde nisi detur Unum primum immobile, repugnat existentia motus; sicut impossibile est, quod aliquid transeat de potentia in actum, nisi praesupponatur aliquid, quod sit in actu.

Prima autem via, cuius initium est mutatio rerum, quas videmus, sic reducitur ad formam: Necessè est devenire ad aliquod primum movens, quod a nullo movetur. Atqui hoc omnes intelligunt Deum. Ergo Deus est.

Probatur maior: Omne, quod movetur, ab alio movetur. Sed in moventibus et motis per se ordinatis non datur processus in infinitum. Ergo necessè est devenire ad aliquod primum movens, quod a nullo movetur.

**Secunda via.**

Conclusio 2. Necessesse est ponere aliquam Causam efficientem primam, quam omnes Deum nominant.

/ Sicut in via prima consideratur potentia passiva rerum, quae est aptitudo ad aliquam realitatem acquirendam vel recipiendam, ita in via hac, quae est ex ratione causae efficientis, consideratur potentia activa rerum, quae est verus actus potentiae admixtus.

Initium autem huiusce viae est etiam factum sensibile. „Invenimus enim, ait D. Thomas, in istis sensibilibus esse ordinem causarum efficientium.“ Ex communi namque hominum sensu quotidiana et perspicua experientia innixo constat, corpora agendi vi esse praedita veramque rationem causae efficientis obtinere. Negare quidquam de novo produci aut ullam inesse rebus agendi vim, esset a) os ipsum naturae obstruere; b) ordinem universi subtrahere; c) naturalium rerum scientiam destruere sive evacuari; d) ac tandem in omnia absurda Occasionalismi incidere.

Via, quae ex ratione causae efficientis assumitur, nihil aliud nisi series causarum efficientium: 1. simul agentium, 2. simul agentium ad producendum unum et eundem effectum. Consequenter in ista causarum serie una pendet ab altera in efficientia, in agendo, in ratione causae, reduplicative ut est causa. Omnes ac singulae causae, quae ab alia dependent in agendo ac causando unum et eundem effectum, habent rationem causae secundae, causae mediae, sive sint plures sive sit una tantum.

Primus gradus viae: Non est possibile, quod aliquid sit causa efficiens suiipsius, quia esset prius seipso, quod est impossibile.

Secundus gradus viae: Non autem est possibile, quod in causis efficientibus per se ordinatis procedatur in infinitum.

Terminus viae: Ergo est necesse ponere aliquam causam efficientem primam, quam omnes Deum nominant.

Ostenditur primus viae gradus. Esse causa efficiens suiipsius potest intelligi: 1. in linea essendi; 2. in linea operandi. Quod autem non sit possibile aliquid esse causam efficientem suiipsius in essendo, patet ex terminis,

alias esset prius seipso, quod est impossibile. Impossibile est enim aliquid existere, priusquam existat. Quod autem non sit possibile aliquid esse causam efficientem suiipsius in operando, patet similiter: 1. Quoniam operari seu causare est quoddam esse; hoc autem esse constituit formaliter ipsumet esse causae efficientis, reduplicative ut est efficienter causans. Si ergo aliquid posset esse causa efficiens suiipsius, in quantum causans et in quantum efficiens, causaret et efficeret, priusquam esset causa efficiens. Idoque esset prius seipso, quod est impossibile.

Exinde 2. quoniam ad hoc, quod aliquid possit esse causa efficiens suiipsius in linea operandi, oporteret: a) Ut daret sibi virtutem agendi; b) ut virtutem sibi datam applicaret per se primo ad agendum. Primum autem est impossibile, nam ageret, priusquam ipsam agendi virtutem haberet, et sic esset prius seipso, quod est impossibile. Alterum quoque est impossibile, nam applicare virtutem agendi ad agendum iam est agere: quod supponit virtutem actioni applicatam et cum actione coniunctam; et sic ageret, priusquam se ad agendum applicaret, et se ad agendum applicaret, antequam ad agendum fuisset applicata. Unde esset quoque prius seipso, quod est impossibile. Sicut ergo in linea essendi sic et in linea operandi non est possibile, quod aliquid sit causa efficiens suiipsius.

Ostenditur secundus viae gradus. 1. Quoniam in causis efficientibus per se ordinatis, utpote simul agentibus ad unum et eundem effectum producendum cum subordinatione et dependentia causae unius respectu alterius, primum est causa medii et medium est causa ultimi; sive media sint plura sive unum tantum. Remota autem causa removetur effectus. Ergo si non fuisset primum in causis efficientibus, neque erit ultimum nec medium, nulla proinde causa secunda nec causae secundae effectus. 2. Operatio, qua causa secunda vel media, sive sint plures sive una tantum, causat effectum suum, causatur a causa prima efficiente, quae ita facit causam mediam, sive sint plures, sive una tantum, operari, quod huius operationis, secundum quam effectus producit a causa secunda, magis est causa prima quam causa secunda. Ergo hoc ipsum, quod causa secunda sit causa effectus, habet a prima causa. Sed si procedatur in infinitum in causis efficientibus, non erit prima causa efficiens; et sic non erit nec effectus ultimus nec causae efficientes mediae: quod patet

S. Th.

esse falsum. 3. Causae secundae seu mediae, sive sint plures, sive sit una tantum, eo ipso, quod sunt mediae, sunt causae, quia causatae, sunt moventes, quia motae. Ergo causa secunda non agit in causatum suum nisi virtute Causae primae. Ergo et causatum non procedit a causa secunda nisi per virtutem Causae primae. Ergo in causis per se ordinatis causa prima movet omnes causas medias ad effectum. Ergo, quia ante omnem causam moventem motam requiritur necessario prima causa movens immobilis, requiritur quoque, quod ante omnem causam mediam, sive sint plures, sive sit una tantum, sit Causa Prima, quae nullo modo sit media quasi habens aliam causam ante se.

Secunda autem via, cuius initium est potentia operativa rerum sensibilium, quas videmus, sic reducitur ad formam: Necesse est ponere aliquam causam efficientem primam, ideoque non habentem causam. Atqui hanc causam omnes Deum nominant. Ergo Deus est. Probatur maior: Omne quod fit, ab alio fit. Sed in causis efficientibus per se subordinatis non datur processus in infinitum; cum quaelibet causa fiat seu compleatur in ratione causae ab una, quae est et dicitur prima. Ergo necesse est ponere aliquam causam efficientem primam, quae non habeat causam.

#### Tertia via.

Conclusio 3. Necesse est ponere aliquid, quod sit per se necessarium non habens causam necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis aliis: quod omnes dicunt Deum.

Initium enim huius viae est similiter sicut in antecedentibus factum, quod experientia et testimonio sensus constat. Invenimus enim, ait D. Thomas, in rebus quaedam, quae sunt possibile esse et non esse, cum quaedam inveniantur generari et corrumpi, et per consequens possibile esse et non esse. Vocantur itaque a D. Thoma possibile esse et non esse illa omnia, quae generantur et corrumpuntur; quae nascuntur et intereunt. Atque consequenter tertia via, quae sumitur ex possibili et necessario, incipit a facto generationis et corruptionis rerum sensibilium.

Quemadmodum ergo in prima via consideratur potentia passiva, qua res moventur, et in secunda via

inspicitur potentia activa, qua res motae movent, ita in via tertia naturam contemplamur rerum, quae generatione oriuntur et corruptione intereunt; ideoque possibile esse et non esse in hac tertia via idem significant ac rerum corporearum contingentiam.

Idcirco possibile sive contingens sumitur hic pro eo dumtaxat, quod habet in constitutione suae propriae naturae naturalem potentiam ad non esse, cuiusmodi sunt composita ex materia et forma sive ex elementis, ratione quorum compositum est corruptibile. Consequenter necessarium, prout hic sumitur tamquam oppositum possibili seu contingenti, significat omne ens, quod, cum existat, non habet naturalem potentiam in constitutione propriae naturae ad transeundum de esse ad non esse; sed posito quod sit, quantum ex natura sua est, exigit perpetuo esse. Unde D. Thomas lib. 2 contra gentes c. 55: „Res dicuntur necessariae et contingentes secundum potentiam, quae est in eis, et non secundum potentiam Dei.“ Et in lib. Phys. lect. 8: „Necessarium enim dicitur aliquid, quod in sui natura habet, quod non possit non esse. Contingens autem ut frequenter, quod possit non esse.“

Inde necessarium, quod in tertia via contraponitur contingenti seu possibili esse et non esse, dividitur in necessarium habens aliunde causam suae necessitatis, et necessarium, quod a seipso, non ab alio, possidet necessitatem essendi: quod necessitate absoluta est.

Primus gradus viae: Non omnia entia sunt possible, id est contingentia, sed oportet aliquid esse necessarium in rebus.

Secundus gradus viae: Non est autem possibile, quod procedatur in infinitum in necessariis, quae habent causam suae necessitatis.

Terminus viae: Ergo necesse est ponere aliquid, quod sit per se necessarium, non habens causam necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis aliis: quod omnes dicunt Deum.

Ostenditur primus viae gradus. Si enim omnia ac singula sunt possible non esse, aliquando nihil fuit in rebus. Sed si hoc est verum, etiam nunc nihil esset: quod patet esse falsum. Ergo non omnia entia sunt possible, id est contingentia; sed oportet aliquid esse necessarium in rebus.



Probatur praemissa maior. Possibilia esse et non esse sunt et dicuntur omnes res sensibiles ac contingentes, quae incipiunt esse per generationem et esse desinunt per corruptionem. Sed impossibile est omnia, quae sunt talia, semper esse; quia quae incipiunt esse et desinunt esse per mutationem, quandoque non sunt. Si igitur omnia suntabilia, aliquando nihil fuit in rebus.

Probatur praemissa minor. Si enim est verum, quod aliquando nihil fuit in rebus, impossibile fuit, quod aliquid inciperet esse; quia quod non est, non incipit esse nisi per aliquid, quod est. Ergo si hoc est verum, quod aliquando nihil fuit in rebus, etiam nunc nihil esset.

Ostenditur secundus viae gradus. Omne autem necessarium vel habet causam suae necessitatis aliunde vel non habet. Si non habet, necesse est ponere aliquid, quod sit per se necessarium; et tunc iam sumus in termino viae, et habetur, quod erat demonstrandum.

Si vero habet causam suae necessitatis aliunde, vel ista causa efficiens est causa secunda sive media, vel est causa prima non habens ante se aliam causam. Si primum, oportet devenire usque ad ipsam Causam primam, quae movet omnes causas medias ad effectum; quia hoc ipsum, quod causa secunda sit causa effectus, habet a prima causa efficiente. Si alterum, iam habetur necessarium non habens causam suae necessitatis aliunde; et proinde quod non solum perpetuo est, sed etiam se Ipso est. Quod omnes dicunt Deum.

Ostenditur simul uterque viae gradus. D. Thomas lib. 2 contra gentes c. 15 n. 5 sic: „Praeterea: Omne quod est possibile esse et non esse, habet aliquam causam; quia in se consideratum ad utrumlibet se habet. Et sic oportet esse aliquid aliud, quod ipsum ad unum determinet. Unde cum in infinitum procedi non possit, oportet quod sit aliquid necessarium, quod sit causa omnium possibilium esse et non esse.“ „Necessarium autem quoddam est habens causam suae necessitatis, in quo etiam in infinitum procedi non potest; et sic est devenire ad aliquid, quod est per se necesse esse, . . . et hoc est Deus.“ Tertia autem via, cuius initium est contingentia rerum sensibilium, quas videmus, sic reducitur ad formam: Necesse est ponere aliquid, quod sit per se necessarium, non habens causam suae necessitatis aliunde. Atqui hoc omnes dicunt Deum. Ergo est Deus. Probatur maior: Non omnia entia sunt



possibilia esse vel non esse, id est contingentia, sed oportet quod aliquid sit necessarium in rebus; alioquin, cum de ratione contingentis sit aliquando non fuisse, nunc nihil esset. Sed in necessariis habentibus causam suae necessitatis non datur processus in infinitum sicut nec in causis efficientibus. Ergo necesse est ponere etc.

#### Via quarta.

Conclusio 4. Est aliquid, quod omnibus entibus est causa ipsius esse et bonitatis et cuiuslibet perfectionis, et hoc dicimus Deum.

Initium huius viae sumitur ex gradibus, qui in rebus inveniuntur. Invenitur enim, inquit D. Thomas, in rebus aliquid magis et minus bonum et verum et nobile et sic de aliis huiusmodi. Lapidem namque sunt, plantae vivunt, animalia sentiunt, homines intelligunt. Modus proinde essendi in plantis est magis bonus et verus et nobilis quam in lapidibus, in animalibus quam in plantis, in hominibus quam in animalibus. Atque ita homo habet esse commune cum lapidibus et vivere cum arboribus et sentire cum animalibus et intelligere cum angelis, in quibus gradus vitae intellectualis adhuc est verior, melior ac nobilior.

Haec enim via est via perfectionum cunctarum rerum, atque argumentum pro Dei existentia ostendenda ex hac via quarta desumptum sine dubio pulcherrimum. Tangit radices rerum, a visceribus ipsis Philosophiae Primae originem trahit; atque per illud, quod est actuale et quid formalissimum in rebus, ascendit usque ad formam omnium perfectionum ab ipsis rebus perfectis separatam, quae est rerum omnium forma exemplaris.

Haec, inquam, via praesupponit iam primam et secundam et tertiam, supra quas scientifice fundatur, unde concludit plus, quam in praesenti quaestione adhuc est necessarium. Ad praesens sufficit, quod detur aliquid maxime ens. Quod autem huiusmodi ens sit causa essendi omnibus entibus, tunc erit locus concludendi, postquam in art. 4 qu. 3 ostendetur, Dei essentiam identificari cum suo esse; et in art. 4 qu. 11 probabitur, Deum esse maxime unum, quia est maxime ens; et denique tandem in qu. 44 a. 3 dicetur, quod „Deus est prima causa exemplaris omnium rerum“. Haec igitur via hic inchoatur, hic

dumtaxat delineatur, in quaestione autem 44. complebitur atque perficietur.

Quamobrem via quarta apparenter videtur esse planior atque facilior, et ut ita loquamur, minus metaphysica, cum tamen ex interioribus ipsius Metaphysicae depromatur. Est enim quarta ista via veluti splendor eiusdem veritatis, quae adeo laboriose in prima et secunda et tertia via inquiritur, perscrutatur atque in lucem profertur.

Perfectiones autem, de quibus est via quarta, non sunt rationes specificae rerum. Formae enim, quae constituunt rerum essentias atque ipsarum naturas specificant et determinant, sunt sicut numeri et intra eundem gradum specificum non admittunt latitudinem nec suscipiunt magis et minus. Aut sunt vel non sunt. Aliquis enim est homo vel non est; non autem plus aut minus. Agitur ergo de perfectionibus, quae magis et minus suscipiunt, et per diversos gradus alios aliis superiores inveniuntur progredi ab infimo versus Summum, in eadem ratione sive univoca sive analogica tantum. Etenim unus homo dicitur melior et maior alio homine sapientia, virtute, iustitia, bonitate. Et similiter se habent in diversis perfectionis gradibus rationes generales rerum, quae de ipsis rebus saltem analogice praedicantur, ut esse, subsistere, vivere, intelligere.

Primus gradus viae: Est aliquid, quod est verissimum et optimum et nobilissimum et per consequens maxime ens.

Secundus gradus viae: Quod autem dicitur maxime tale in aliquo genere, est causa omnium, quae sunt illius generis.

Terminus viae: Ergo est aliquid, quod omnibus entibus est causa ipsius esse et bonitatis et cuiuslibet perfectionis, et hoc dicimus Deum.

Ostenditur primus viae gradus. 1. Ita exemplo ostendit ipse Angelicus Doctor, Exposit. in Symb. Apost. cap. 3: „Si quis intraret domum aliquam et in ipsius domus introitu sentiret calorem, postmodum vadens interius sentiret maiorem calorem et sic deinceps, crederet ignem esse interius, etiamsi ipsum ignem non videret, qui causaret dictos calores. Sic quoque contingit consideranti res huius mundi. Nam ipse invenit res omnes secundum diversos gradus pulchritudinis et nobilitatis esse dispositas; et quanto magis appropinquant Deo, tanto pulchriora et nobiliora invenit. Unde corpora coelestia

pulchriora et nobiliora sunt quam corpora inferiora, et invisibilia visibilibus. Et ideo credendum est, quod omnia haec sunt ab uno Deo, qui dat suum esse singulis rebus et nobilitatem.“

Hoc modo ostendebat Apostolus Paulus primum gradum viae, cum stans in medio Areopagi aiebat: „Quaerere Deum, si forte attrectent eum aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In Ipso enim vivimus et movemur et sumus; sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus.“ (Act. Apost. c. 17.)

2. Invenitur in rebus aliquid magis et minus bonum et verum et nobile et sic de aliis huiusmodi. Sed magis et minus dicuntur de diversis, secundum quod appropinquant diversimode ad aliquid, quod maxime est: sicut magis et minus verum secundum approximationem ad id, quod est simpliciter et maxime verum. Ergo cum, ubi datur plus et minus in aliqua perfectionis linea, oporteat devenire ad primum, quod formaliter vel eminenter habeat in summo praedictam perfectionem, aliquid existit, quod est verissimum et optimum et nobilissimum, et per consequens maxime ens. (1 contra gent. c. 13.)

3. Ex ipsa rerum natura. Invenitur enim in omnibus rebus natura entitatis, in quibusdam magis nobilis, in quibusdam minus, ita tamen quod ipsarum rerum naturae non sunt hoc ipsum esse, quod habent; alias esse esset de intellectu cuiuslibet quidditatis, quod falsum est, cum quidditas cuiuslibet rei possit intelligi, etiam non intelligendo de ea an sit. Ergo oportet quod ab aliquo esse habeant, et oportet devenire ad aliquid, cuius natura sit ipsum esse. (2 Sent. dist. 1 qu. 1 a. 1.)

4. Ex prima, secunda et tertia via datur in rerum natura Primum Movens Immobile, quod a nullo movetur, Ens cui nihil est causa essendi, Ens necessario existens, quod non habet causam suae necessitatis aliunde. De ratione autem huiusmodi Entis est habere realiter identificatam essentiam et existentiam. Huiusmodi ergo Ens est Ens per essentiam, maxime Ens: ergo verissimum et nobilissimum et optimum.

Ostenditur secundus viae gradus. Quod est maxime tale in aliquo genere, non tantum est maxime perfectum in genere illo, sed etiam et maximum atque summum in perfectione illius generis et habet huiusmodi perfectionem per

essentiam, vi ac virtute naturae suae. Unde maxime verum et maxime bonum et maxime ens est veritas subsistens et bonitas subsistens et esse subsistens; est verum, bonum et ens per essentiam. Exinde reliqua omnia, quae non sunt maxime talia in genere illo, quantumvis perfecta, quantumvis appropinquant ad illum, quod est maximum, semper semperque possidebunt nobilitates ac perfectiones illius generis per participationem: ac consequenter nequeunt esse vera, bona, entia per essentiam. Sed quaecumque minus sunt, quamvis perfectissime sint, non seipsis sunt; sed ut sint, accipiunt ab eo, qui maxime est; alias, nec quaecumque minus sunt, essent entia per participationem, nec qui maxime est, esset ens per essentiam. Ergo illud, cuius natura est ipsum suum esse, dat esse omnibus rebus, quarum naturae non sunt hoc ipsum esse, quod habent.

Rursus: Omne illud, quod est secundum participationem, reducitur ad aliquid, quod sit illud per suam essentiam, sicut ad Primum et ad Summum; sicut omnia lucida per participationem reducuntur ad lucem ipsam, quae est lucida per essentiam, et omnia alba ad albedinem, et omnia ignita ad ignem, qui est per essentiam suam talis. Quoniam maxime habens rationem aliquam formalem est causa sive exemplaris sive effectiva reliquorum habentium eandem rationem formalem ut sic. Si enim aliqua lux sive albedo sive ignis essent subsistentia in seipsis, ita quod non inhaerent ut accidentia alicui subiecto, tunc illa lux esset maxime in ratione lucidi, et illa albedo in ratione albedinis, et ille ignis in ratione calidi. Cum ergo omnia, quae sunt, participant esse et sint per participationem entia, necesse est esse aliquid in cacumine omnium rerum, quod sit ipsum esse per suam essentiam, id est quod sua essentia sit suum esse. Et hoc est Deus, qui est sufficientissima et dignissima et perfectissima causa totius esse, a quo omnia, quae sunt, participant esse. (D. Thom. in Evang. Ioan. prolog.)

Quarta autem via, cuius initium est diversus gradus eiusdem perfectionis in rebus, quas conspiciamus, sic reducitur ad formam: Est aliquid, quod omnibus entibus est causa essendi. Atqui hoc dicimus Deum. Ergo est Deus. Prob. maior: Est aliquid in rebus, quod est maxime ens, quoniam in rebus diversimode participatur natura entitatis. Sed quod est maxime tale in aliquo genere,

est causa omnium, quae sunt illius generis. Ergo id, quod est maximum in essendo, est causa, quod omnia alia entia sint.

#### Quinta via.

Conclusio 5. Est aliquid intelligens, a quo omnes res naturales ordinantur ad finem: et hoc dicimus Deum.

Initium huius viae est etiam factum, quod experientia ac testimonio sensuum constat, scilicet quod res omnes naturales videntur operari ordinate iuxta leges quasdam constantes atque in suis operationibus tendere ad aliquem certum et determinatum effectum.

Haec igitur via desumitur ex ordine universi, ex dispositione rerum omnium corporearum, quae tam in essendo quam in operando exhibent ordinationem mediorum ad fines proximos, et finium particularium ad fines superiores, et superiorum finium ad finem generalem, qui est bonum totius atque perfectio.

Via ista, utpote desumpta ex gubernatione rerum, est immensa ut ipsamet rerum universitas; atque in suo ambitu amplectitur singulas vias particulares, ex quibus integra via quinta exsurgit, et in quibus mirabiliter apparet, quomodo omnia ac singula sint constituta in numero, pondere et mensura. Hanc viam miratur Cicero lib. 2. de natura Deorum c. 38 scribens: „Quis hunc hominem dixerit, qui cum tam certos coeli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quae quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus?“ Miratur cum omnibus Patribus S. Augustinus, qui in Enarrat. in Psalm. 148 exclamat: „Quis disposuit membra pulicis et culicis, ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum? Unam bestiolam brevem, minutissimam considera, quam volueris. Si consideres ordinem membrorum ipsius et animationem, qua movetur, ut pro se fugit mortem, amat vitam, appetit voluptates, devitat molestias, exserit sensus diversos, viget in motu congruo sibi! Quis dedit aculeum culici, quo sanguinem sugat? Quam tenuis fistula est, qua sorbet! Quis disposuit ista? Quis fecit ista? Expavescis in minimis, lauda Magnum. Hoc itaque tenete, fratres mei: qui fecit in coelo angelum, ipse fecit in terra vermiculum.“



Hanc denique viam plenam mirabilibus maximis etiam in rebus minimis, D. Thomas incipiens a rebus inanimatis, a plantis, quae cognitione carent, a vermiculis, in quibus est ultima resonantia vitae sensibilis, sic reducit ad formam rigoroſe logicam et demonstrat existentiam Dei sub ratione *Intellectus Separati*, qui res ordinat et dirigit in finem.

Primus gradus viae: Aliqua, quae cognitione carent, scilicet corpora naturalia, operantur propter finem.

Secundus gradus viae: Ea autem, quae non habent cognitionem, non tendunt in finem, nisi directa ab aliquo cognoscente et intelligente.

Terminus viae: Ergo est aliquid intelligens, a quo omnes res naturales ordinantur ad finem, et hoc dicimus Deum.

Ostenditur primus viae gradus. 1. Apparet ex hoc, quod semper aut frequentius omnia in rerum natura eodem unaquaeque suo proprio modo operantur, ut consequantur id, quod est optimum. Unde patet, quod non a casu, sed ex intentione perveniunt ad finem. Nam a) quoad inanimata: ex perspicua experientia eaque universali quoad loca, tempora et personas, videmus constantes dierum et noctium vicissitudines, solis ac lunae ortum et occasum astrorumque omnium revolutiones uniformi ac constanti ratione peractas, lapidem sibi relictum deorsum cadere, ignem ac vapores sursum ascendere, omniaque flumina in mare intrare; b) quoad plantas; fixa ratione et ad normam constantem et nasci sive generari, crescere, foliis induere, floribus ornari atque fructus iuxta genus suum producere; c) quoad animalia, quae ita manifeste operantur propter finem, ut quidam dubitaverint, utrum araneae et formicae et huiusmodi animalia operarentur per intellectum vel per aliquod aliud principium. Sed tamen manifestum est, quod operantur propter aliquid, ut hirundo paleas colligit ad nidum conficiendum et sic de ceteris.

2. Nam si deesset haec constans determinatio causarum creaturarum in corporibus inanimatis, plantis, animalibus, ad similes effectus producendos in similibus rerum adiunctis, si denique nullae existerent naturae leges, ad quarum normam res cognitione carentes ac creatae substantiae constanter agerent atque ex eis, veluti ex causis,



certis legibus subiectis, haberetur consecutio invariabilis phaenomenorum atque effectuum, existere non possent ullae scientiae neque artes, praesertim physicae et naturales.

3. Quoniam veritas est solide demonstrata in Philosophia, et tamquam axioma scientificum ac rationabile habetur, quod: a) corpora etiam agendi vi praedita sunt, veramque rationem causae efficientis obtinent; et b) omnia agentia, etiam pure naturalia, agunt propter fidem, suo quoque modo.

Ostenditur secundus viae gradus. 1. Quoniam neque corpora inanimata neque plantae neque bruta animalia, dum operantur propter finem, operantur per artem neque per inquisitionem neque per deliberationem. Quoad res inanimatas ac plantas manifestum est, cum nullum prorsus habeant sensum atque cognitione absolute careant. Quoad animalia vero ex hoc fit manifestum, quod operantur non ex intellectu, sed per naturam, quia semper eodem modo operantur; omnis enim hirundo similiter facit nidum, et omnis aranea similiter facit telam: quod non esset, si ab intellectu et arte operarentur. Non enim omnis aedificator similiter facit domum, quia artifex habet iudicare de forma artificati et potest eam variare. Ergo animalia bruta etiam, aut saltem plantae et res omnes naturales cognitionem non habentes, tendunt in finem directe ab aliquo Intelligente, „sicut sagitta a sagittante“.

2. Quoniam eo ipso, quod mundus regitur legibus universalibus et constantibus, et mira elucet in mundo venustas, convenientia et harmonia rerum tam in ordine essendi quam in ordine operandi ipsarum, sequitur, quod existit aliquis Legislatur naturae et universi mundi Ordinator ac Conditor. „Unde patet, concludit D. Thomas, quod natura nihil est aliud quam ratio cuiusdam artis, scilicet Divinae indita rebus, qua ipsae res moventur ad finem determinatum; sicut si artifex factor navis possit lignis tribuere, quod ex seipsis moverentur ad navis formam induendam.“ (Lib. 2. Phys. lect. 14.)

3. Quoniam impossibile est aliqua contraria et dissonantia in unum ordinem concordare semper vel pluries nisi alicuius gubernatione, ex qua omnibus et singulis tribuitur, ut ad certum finem tendant. Sed in mundo videmus, res diversarum naturarum in unum ordinem concordare, non ut raro et a casu, sed ut semper vel in

maiore parte. Oportet ergo esse aliquid, cuius providentia mundus gubernetur, et hoc dicimus Deum.

Tota namque irrationalis natura comparatur ad Deum sicut instrumentum ad agens principale; et naturae irrationalis proprium est, ut tendat in finem quasi a Deo acta vel ducta; sive in finem apprehensum, sicut bruta animalia, sive in finem non apprehensum, sicut ea, quae omnino cognitione carent. (Lib. 1. c. gent. c. 13; 1. 2. qu. 1. a. 2; lib. 3. c. gent. c. 2 et 3; 1. 2. qu. 13. a. 2.)

Quinta autem via, cuius initium est ordo ipse, qui in motibus corporum effulget, sic ad formam reducitur: Est aliquid intelligens, a quo omnes res naturales, cognitione carentes, ordinantur in finem. Atqui hoc dicimus Deum. Ergo est Deus. Probatur maior: Res naturales operantur propter finem. Sed quae cognitione carent, non tendunt in finem nisi directa ab aliquo intelligente sicut sagitta a sagittante. Ergo est aliquid intelligens, a quo omnes naturales res ad finem ordinantur.

Annotatio. Atque in libro Iob cap. 38 et 39 haec quinta via perpulchre describitur. „Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens? . . . Numquid considerasti latitudinem terrae? Indica mihi, si nosti, omnia, in qua via lux habitet, et tenebrarum quis locus sit; ut ducas unumquodque ad terminos suos, et intelligas semitas domus eius. Sciebas tunc, quod nasciturus esses, et numerum dierum tuorum noveras? Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? . . . Per quam viam spargitur lux, dividitur aestus super terram? Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitruum? . . . Quis est pluviae pater? vel quis genuit stillas roris? De cuius utero egressa est glacies? et gelu de coelo quis genuit? . . . Numquid coniungere valebis micantes stellas Pleiados, aut gyrum Arcturi poteris dissipare? Numquid producis Luciferum in tempore suo, et Vesperum super filios terrae consurgere facis? Numquid nosti ordinem coeli et pones rationem eius in terra? Numquid elevabis in nebula vocem tuam, et impetus aquarum operiet te? Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi: Adsumus? . . . Numquid praebebis equo fortitudinem aut circumdabis collo eius hinnitum? Numquid suscitabis eum quasi locustas? gloria narium eius terror. Terram ungula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis: contemnit pavorem, nec cedit

gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibravit hasta et clypeus. Fervens et fremens sorbet terram, nec reputat tubae sonare clangorem. Ubi audierit buccinam, dicit: Vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus. Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum? Numquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponit nidum suum? In petris manet, et in praeruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam, et de longe oculis eius prospiciunt.“ Et lib. 2 Macchab. cap. 7: „Supra modum autem mater, mirabilis et bonorum memoria digna, quae pereuntes septem filios suos sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat propter spem, quam in Deum habebat; singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia, et femineae cogitationi masculinum animum inserens, dixit ad eos: Nescio, qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam, sicut vosmetipsos despicitis propter leges eius.“

Et inde est, quod ipse motus rerum naturalium in finem certum indicat, esse aliquod altius, quo naturales res diriguntur in finem et gubernantur. Et ideo, cum totus cursus naturae ordinate in finem procedat et dirigatur, de necessitate oportet nos ponere aliquid altius, quod dirigat ista, et hic est Deus. Quapropter Boetius lib. 3 de Consol. Philosoph. pros. 12: „Non tam certus naturae ordo procederet, nisi unus esset, qui, quod nexuit, contineret. Hoc quidquid est, Deum nomino.“

### III. Observationes.

1. Quinque praefatae viae ita inter se connectuntur, ut una praesupponat alteram atque illam compleat et magis determinet et perficiat. Omnium viarum fundamentum est prima, quae sumitur ex parte motus, et in qua consideratur potentia passiva rerum, quae motui et mutationibus sunt subiectae. Per hanc quippe viam quasi per scalam etiam ipsi ethnici philosophi ad Deum ascendeabant, ut Aristoteles perfecit, qui in ultimo libro Physicorum pervenit usque ad aliquid, „quod indivisibile est et

impartibile et nullam habens magnitudinem“; atque in ultimo Metaphysicorum concludit, quod „Entia nolunt male gubernari, nec bonum pluralitas principatum. Unus ergo Princeps“.

Huius autem viae primae determinatio quaedam est via secunda, quae est ex parte causarum efficientium, et in qua consideratur potentia activa rerum, qua res ipsae movent et mutant atque proprios effectus producunt. At si rerum activa potentia non habuerit potentiam passivam admixtam, nec daretur series causarum per se ordinarum, nec proinde causae secundae aut mediae, sed omnes essent causae independentes in agendo et consequenter causae primae, causae moventes at non motae, causae non habentes causam saltem in linea agendi, causae sine causa in causando.

Ad secundam viam reducitur tertia, quae sumitur ex contingentia rerum. Res namque contingentes ex essentia sua, quae utpote composita ex duobus elementis, materia scilicet et forma, requirunt, ut existant, aliquod ens necessarium; quod quidem erit medium, et secundo causans in serie causarum efficientium, quarum prima oportet ut sit ita necessaria, ut non habeat aliunde causam suae necessitatis.

Quarta autem via, quae ex gradibus ducitur, qui in rebus inveniuntur, ut subsistere, vivere, intelligere, ad viam secundam reducitur, ex qua omnem vim ac concludendi robur accipit; nam causa formalis separata a rebus rerumque cunctarum exemplar non nisi efficiens causa prima esse potest.

Ac denique via quinta ex gubernatione rerum accepta primam, secundam et quartam necessario importat; etenim gubernare est efficere, dirigere in finem est movere, et non nisi causa prima efficiens et exemplaris suprema potest esse causa finalis ultima.

Unde quinque viae istae reducuntur ad primam: Deus namque est Primum Movens immobile in ratione causae efficientis, causae exemplaris et causae finalis. Unde infra qu. 105 a. 5 determinate concluditur: „Sic igitur secundum haec tria Deus in quolibet operante operatur, videlicet ut finis, ut agens, ut forma.“

2. In prima via ostenditur Deum esse sub ratione Primi Moventis Immobilis seu Actus Puri, in secunda via sub ratione causae non habentis causam, seu causae in-

causatae, in tertia via sub ratione Entis absolute necessarii seu non habentis causam suae necessitatis, in quarta via sub ratione entis omnium verissimi et optimi et nobilissimi seu entis, quod est maxime ens, in quinta porro via sub ratione Intellectus separati a materia, a quo res cognitione carentes ordinantur in finem, et consequenter sub ratione Primi Ordinatoris non habentis causam suae ordinationis.

Hae quinque viae prolongantur per totum tractatum de Deo uno ac declarantur in longum, latum et profundum per totam Summam Theologicam. Ut iacent apertae atque delineatae in hoc Art. 3, concludunt rigore quinque supradicta praedicata, scilicet Primi Motoris, Primae Causae, Primi Necessarii, Primi Entis, Primi Intelligentis, inveniri in rerum natura, et quae secundum veritatem sunt propria Dei. At in isto Articulo adhuc non determinatur, utrum sit unus Motor aut plures, sit hoc modo vel alio; sed dumtaxat quod est, quod datur, quod existit; et similiter de aliis praedicatis, sub quorum conceptu intelligimus Deum. Deinde evolvendo, quae in his quinque praedicatis virtualiter includuntur, expresse ac formaliter oportet inferre et concludere per subsequentes quaestiones: Deum esse incorporeum, simplicissimum, perfectissimum, per essentiam bonum, infinitum, immutabilem, aeternum, unum, omnipotentem, et per sapientiam suam et voluntatem omnia creantem, omnia conservantem, omnia moventem ac perficientem, et a fine usque ad finem, dum omnia ac singula movet et disponit, attingentem fortiter et suaviter.

Iure merito potest affirmari, quod integra Summa Theologica nihil aliud est nisi explanatio clarissima ac pulcherrima harum quinque viarum, quibus Deum esse demonstrative probatur. In Summa Theologica ratio humana et fides divina obviaverunt sibi, divina revelatio arcanorum, quae non licet homini loqui, et cunctae philosophicae disciplinae osculatae sunt in ostensione infinitarum perfectionum illius, qui est.

3. Sicut ab argumentis pro existentia Dei demonstranda sapienter removetur omne elementum, quod ratione ostendi non valeat, ut est novitas mundi, quam sola fide tenemus; sic pro istarum quinque viarum plena intelligentia accurate distinguendum est: a) inter numerum seu multitudinem actu infinitam; b) et inter numerum seu multitudinem actu infinitam causarum efficientium per se



ordinatarum. Secundum dicit plus quam primum, nam supponit: 1. numerum rerum actu infinitum, 2. praeterea infinitum numerum rerum, quae sunt causae. Si primum repugnat, sine dubio repugnat secundum; sed si primum esset possibile, non exinde inferri valet, quod etiam secundum possibile sit.

D. Thomas in opusculo de aeternitate mundi scripsit: „Adhuc non est demonstratum, quod Deus non possit facere, ut sint infinita actu.“ In Summa autem theologica 1 P. qu. 7 a. 4 iam videtur admittere, quod „impossibile est esse multitudinem infinitam in actu, etiam per accidens“. Attamen argumenta allata ad sic concludendum nec perspicue demonstrativa nec penitus insolubilia existunt. Unde ipsemet Angelicus Doctor lib. 3 Physicorum lect. 7 ita iudicat: „Attendendum est autem, quod istae rationes sunt probabiles, procedentes ex iis, quae communiter dicuntur; non enim ex necessitate concludunt; quia . . . qui diceret aliquam multitudinem esse infinitam, non diceret eam esse numerum vel numerum habere: addit enim numerus super multitudinem rationem mensurationis. Est enim numerus multitudo mensurata per unum.“

Sitne vel non possibilis multitudo seu numerus actu infinitus, semper erit verum ac firmum, quod non est possibile procedere in infinitum in causis sive efficientibus sive finalibus sive formalibus sive materialibus, quoniam hoc militat directe et expresse contra rationem causae.

Quoad causas efficientes. Procedere enim in infinitum in genere causae efficientis, id est in causis efficientibus per se ordinatis, nihil aliud esset, quam quod effectus proveniret ex causa mota ab alia, quae iterum esset mota ab alia et sic deinceps, quin aliqua daretur causa non mota ab alia. Et tunc: 1. daretur effectus sine causa, nempe: motio illa, quae ex una ad aliam causam derivatur et alteri per alteram communicatur, absque eo, quod talis motio a nulla earum tamquam ex prima et veluti ex radice exoriatur; 2. nulla daretur causa efficiens media sive secunda; quia de ratione causae efficientis mediae est, quod accipiat a prima complementum propriae, quam habet, virtutis ad agendum, sine quo minime agit. Cum ergo in serie infinita causarum non detur prima, exinde nec complementum secundae, exinde neque ulla actio neque actionis terminus, qui est effectus. Unde D. Thomas lib. 2 Metaph. lect. 3: „Sic igitur si causae



moventes procedant in infinitum, nulla erit causa prima; sed causa prima erat causa omnium; ergo sequeretur, quod totaliter omnes causae tollerentur: sublata enim causa tolluntur ea, quorum est causa.“

Quoad causas materiales. Procedere in infinitum in genere causae materialis, id est in causis materialibus per se ordinatis, esset unum generabile fieri ex corruptione alterius et alterum ex altero et sic deinceps, quin stetur in aliquo primo materiali ingenerabili. Et tunc similiter tollerentur omnes mutationes rerum materialium, quia tolleretur basis et fundamentum cunctarum transmutationum. Ubi non est mutationis primum subiectum, nequit dari motus neque mutatio. Mutatis mutandis et servata proportione, eiusdem rationis est sursum ire procedendo in agentibus et ire in deorsum, procedendo in patientibus. Processus causarum moventium est in sursum, processus autem causarum materialium est in deorsum. Sicut enim agere attribuitur causae moventi, ita pati attribuitur materiae. Itaque non daretur aliqua causa movens, constans actu et potentia, nisi daretur causa movens, quae est Actus Purus, nec daretur generatio aliqua aut substantialis transmutatio in rebus, nisi in genere causarum materialium supponatur unum primum, quod sit fundamentum et basis aliorum, nempe potentia pura in linea entis, quod est medium inter ens actu et inter purum non ens actu, quod est nihilum.

Quoad causas formales. Quoniam in rerum natura necesse est, ut tot gradus formarum inveniantur, quot inveniuntur genera ordinata et differentiae. Est enim in rebus invenire aliquam formam, quae est forma et non est forma corporis, et aliquam, quae est forma corporis, sed non est forma corporis animati. Non est autem procedere in infinitum neque descendendo neque ascendendo in gradibus perfectionis formarum. Non descendendo, quoniam materia comparatur ad formam sicut potentia ad actum, et quanto magis resolvendo descenditur in formis, tanto minus invenitur de ratione entis et de ratione actus et appropinquatur ad principia materialia. Et cum materia sit ens in potentia et non habeat esse nisi per formam, sequitur, quod omnis forma finem ac limites accipit a materia, in qua recipitur et cui dat primum esse, quod est esse substantiale. Materiae etenim non est esse infinitum, essendi autem principium materiae est forma;

omnis ergo forma recepta in materia, est finita. Nec ascendendo, quoniam in actibus formarum, quae sunt formae corporum, gradus quidam inveniuntur, quousque pervenitur ad animam rationalem, quae est „ultimus totius generationis gradus“, et in quam „tendit materia sicut in ultimam formam“; et quae „est in confinio corporum et incorporearum substantiarum, quasi in horizonte existens aeternitatis et temporis, et recedens ab infimo, appropinquat ad summum“. Ascendendo autem in formis, quae ex sua natura sunt separatae a corpore, omnis forma est participans esse, et se habet ad esse ut potentia ad actum, et nulla forma est suum esse; et sic omnes substantiae separatae a materia componuntur ex forma et esse, et distinguuntur ad invicem, secundum quod habent plus de actu et minus de potentia, et sic gradatim naturam entis possident, secundum quod appropinquant Primo, cuius forma est ipsum suum esse subsistens, omnium formarum exemplaris forma.

Quoad causas finales. Sic se habet ultimum in causis finalibus, sicut se habet primum in causis efficientibus; et sic se habent media respectu ultimi finis, sicut se habent causae mediae respectu causae primae agentis. Omnia media sunt fines secundarii, sicut omnes causae mediae agentes sunt causae secundae. Tam in finalibus quam in efficientibus causis omnia et singula media habent rationem instrumenti: movent, mota; agunt, acta; causant, causata. Omnia appetuntur in ordine causarum finalium, propter participationem quandam Ultimi finis, quod est Summum Bonum. Omnia agunt in ordine causarum efficientium propter virtutem activam participatam a Primo Agente, quod est Actus Purus. Ergo qui ponunt infinitum in causis finalibus, remonent omnem rationem boni et appetibilis, excludunt finem ipsum, cuius causa fit aliquid; destruunt omnem operationis terminum et consequenter omnem conatum ad operandum. Cum igitur omnia media in finalibus sicut omnes causae secundae in efficientibus habeant rationem instrumenti, inde est, quod remove tam primum in efficientibus quam ultimum in finalibus est ponere instrumenta moveri sine aliquo principali agente. Quod ridiculum est etiam apud indoctos, ait D. Thomas.

4. Igitur implicat contradictionem, quod procedatur in infinitum in causis: in infinitum procedere est contra

rationem causae; oportet ergo semper pervenire ad aliquod ultimum, ultra quod non sit procedere, sive resolvendo in principia materialia rerum sive in principia formalia sive in principia efficientia sive in principia finalia. Sine ultimo in linea potentialitatis nulla datur compositio, transmutatio nulla nec transitus de non esse ad esse. Sine ultimo in linea actus nullum datur esse substantiale, quia forma est materiae terminus, et esse est terminus formae vel compositi per formam. Sine ultimo in linea boni, quod habet rationem finis, nullus datur appetitus, conatus nullus ad operandum, neque ulla operatio; quia bonum, quod est finis, est operationis terminus. Sine ultimo in linea agendi, quod habet rationem primi efficientis, nullus datur motus, nullus transitus de posse agere ad agendum, nullum efficiens nullusque effectus; quoniam datur movens motum sine motione descendente ab aliquo Motore immobili.

Quamvis sint causarum genera quatuor, cum materia non sit principium actionis, sed se habet ut subiectum recipiens actionis effectum, et ipsamet cum se habeat ex parte potentiae, in rebus sit quoque aliquid effectum; exinde ascendendo per omnes vias causarum et per omnia actionis principia devenire necesse est usque ad Deum, qui est Primum in efficientibus et Summum in formalibus atque exemplaribus et Ultimum in finalibus: a quo et ipsa materia, quod est ultimum in potentialibus, accipit illud, quod est, scilicet quid medium inter nihilum et ens actu, aliquid prope nihil.

Atque ex his quatuor causis superius positis, earum duae sibi invicem correspondent et aliae duae similiter. Nam efficiens et finis sibi correspondent invicem; quia efficiens est principium motus, finis autem terminus. Et similiter materia et forma; nam forma dat esse, materia autem recipit. Efficiens est causa finis, quantum ad esse; quia movendo efficiens perducit ad hoc, quod sit finis. Finis autem est causa efficientis, non quantum ad esse, sed quantum ad rationem causalitatis. Nam efficiens, cum non nisi causa finis agat, ex fine habet suam causalitatem. Forma autem et materia sibi invicem sunt causae quantum ad esse. Forma quidem materiae, in quantum dat ei esse actu; materia vero formae, in quantum sustentat ipsam.

Ascendendo ergo in serie causarum, et incipiendo ab ipsa materia, quae est prope nihil, pervenitur ad Unum, quod est „Primum Movens, Primum Intelligibile et Primum Bonum, quod supra dixit Deum, qui est benedictus in saecula saeculorum“. „Et sic manifestum est, quod Primum Movens idem est quod Primum Intelligibile et Primum Appetibile, quod est Optimum.“ (Lib. 2 Metaph. lect. 3 et lect. 4. Lib. 3 lect. 15. Lib. 12 lect. 5 et 9. De Ente et Essent. cap. 6. Lib. 2. contra gentes, c. 68 et 81 et 95. Lib. 3 c. 22. Lib. 1 Ethic. lect. 2. Lib. Physic. lect. 8 et lib. 2 lect. 5.)

IV. Omnia alia argumenta, sub quacunque forma proponantur, siquid vere concludunt, reducuntur ad quinque vias.

Omnia alia argumenta, quae ad Dei existentiam demonstrandam, vel scientificè et revera demonstrative nihil concludunt, vel si quid concludunt, ad unam vel alteram ex quinque viis supra explanatis reducuntur. Etenim Deum solo lumine naturalis rationis cognoscere non valemus, nisi ut est principium ac finis omnium rerum tam visibilium quam invisibilium; idcirco in tantum concludere valemus ex his visibilibus, quae facta sunt, Deum esse, in quantum inferimus necessitatem alicuius Primi Motoris, a quo omnia moventur atque educuntur de potentia in actum tam in ordine essendi quam in ordine operandi. Quodcumque argumentum afferatur, nihil probat in rigore philosophico, nisi probet existentiam Primae Causae efficientis aut Supremae Causae exemplaris aut ultimae causae finalis. Et quoniam ultimum in ordine finalium et summum in ordine formalium necessario esse debet Primum in ordine efficientium, inde est quod omnes viae resolvuntur in primam, scilicet in necessitatem alicuius Primi Motoris secundum rationem Causae efficientis. Videamus igitur et ad examen vocemus argumenta alia.

a) Argumentum Cartesii. Quod continetur in idea clara atque distincta alicuius rei, illud de ea verum est seu de ipsa affirmari potest. Sed in idea clara et distincta Entis Infiniti, id est summe perfecti, quae est idea Dei, continetur realis existentia. Ergo existit Deus.

b) Argumentum Leibnitii. Ens, ex cuius essentia sequitur existentia, si est possibile, id est si habet essentiam,

existit. Atqui Deus est ens, ex cuius essentia sequitur existentia. Ergo Deus, si est possibilis, existit.

c) Argumentum ex facto historico constanti ac evidenti. Consensio omnium gentium lex naturae putanda est. Omnes autem gentes, omnes populi omnesque homines (si forte unus vel alter excipiatur, quod nihil vim argumenti invalidat) consentiunt in agnoscenda Divinitate. Cum ergo universalis iste ac constans consensus habeat omnes condiciones infallibilis criterii veritatis, utpote persuasio dimanans ex ipso fundo naturae rationalis, per spontaneam applicationem primorum principiorum, idcirco evidens est, quod Deus existit.

d) Argumenta ex necessitate atque aeterna veritate principiorum nostrae cognitionis. Prima principia tam ordinis speculativi quam practici habent necessariam, immutabilem et aeternam veritatem. Sed haec necessitas, immutabilitas atque aeternitas exhibet quid obiectivum, quid reale. Ergo existit aliqua mens, aliquis intellectus necessarius, immutabilis et aeternus, a quo tamquam ex fonte ipsius veritatis et bonitatis procedat omne ens, omne verum et omne bonum. Et hoc est Deus.

e) Argumentum Kantianum ex ipsa ratione practica. Ex lege morali, quam impressam videmus in conscientiis nostris, iudicamus bonum esse faciendum et malum vitandum, quaedam esse intrinsece bona et honesta et quaedam intrinsece mala et illicita, quaedam esse ex obligatione praestanda, ut honorare parentes, et ius suum cuique reddere. Ergo existit Iudex supremus, Omnipotens, et liber, qui sit remunerator bonorum et malorum.

f) Argumentum ex existentia rerum imperfectarum. Realiter existunt inanimata quae sunt imperfecto modo; plantae et animalia, quae vivunt imperfecto modo; homines, quin intelligunt imperfecto modo. Atqui imperfectum realiter existens in uno ordine supponit necessario existens in eodem ordine perfectissimum. Ergo existit aliquid, quod perfectissimum est, et quod perfectissime vivit, et quod perfectissime intelligit. Atque hoc vocamus Deum.

Dicendum: a) quod argumentum Cartesii facit transitum ex ordine ideali ad realem. Utique idea Dei est idea entis perfectissimi, at ex hoc non sequitur, quod Deus existat, dummodo non probetur existere Ens perfectissimum, de cuius ratione est existentia.



b) Similiter quod argumentum Leibnitii supponit probandum: 1. quod Deus existit; 2. quod in Deo essentia et existentia identificantur. Ex quibus semel ostensis sequitur, quod in Deo posse esse et esse sunt unum et idem, ac proinde quod Deus existit necessario, cum existentia sit ipsamet Dei essentia. Ista duo argumenta reducuntur ad argumentum Sancti Anselmi, et tantummodo probant, quod semel demonstrata identitate essentiae et existentiae in Deo Deus non potest cogitari non esse aut intelligi absque eo, quod intelligatur ipsum existere.

c) Argumentum ex consensu universali non concludit scientifice, nisi ostendatur antea, ipsam naturam rationalem non esse a se, sed a Prima Causa, a qua rerum pendet universitas. Ideo consensus omnium gentium ius naturae putanda est, et ius naturae vera enuntiare, quia ius naturae in Auctorem ipsius naturae oportet reducere. Unde per hoc argumentum reducimur ad unam ex quinque viis supra expositis.

d) Similiter veritas aeterna, immutabilis et necessaria primorum principiorum tam intellectus speculativi quam practici perducere nos possunt mediante anima et intellectu nostro ad Auctorem nostri intellectus et nostrae animae. Consequenter tale argumentum reducitur ad viam causae efficientis. At si volumus arguere ex ipsa obiectiva necessitate et aeternitate, quam in his primis principiiis mens nostra intuetur, quasi per se solam argueret existentiam alicuius Entis necessarii absolute et positive aeterni, non videtur concludere valida demonstratione. Quoniam necessitas nostrorum primorum principiorum est abstracta et salvatur etiam in ipsis rebus contingentibus necessitatem hypotheticam habentibus. Etenim omne, quod est, dum est, necesse est esse. Ac pariter ipsorum aeternitas est negativa, unde tantum abstrahit a tempore. Unde D. Thomas infra qu. 10 a. 3 ad 3: „Necessarium significat quendam modum veritatis. Verum autem est in intellectu. Secundum hoc igitur vera et necessaria sunt aeterna, quia sunt in intellectu aeterno, qui est Intellectus divinus solus.“ Uno verbo: tale argumentum ut revera concludat, concludere debet vel per viam causae efficientis vel per viam Primi Necessarii vel Maxime Veri et Maxime Entis.

e) Argumentum vero Kantianum sumptum ex ratione practica probat utique, sicut fere omnia alia argumenta,

quae hoc modo solent adduci, modo confuso et implicito quandam notionem Dei, quam omnis homo, rationis compos quasi ex spontaneo naturae rationalis instinctu in seipso habet. Ex consideratione coeli et terrae exurgit quasi spontanee in nostra mente cognitio alicuius Ordinatoris; ex hoc, quod omnes Deum invocant, affirmamur in hac cognitione Dei; ex hoc, quod intelligimus et intelligendo aliquam de Deo ideam efformamus, etiam in affirmanda Dei existentia roboramur; ex amore honestatis et iustitiae atque ex ipsa synderesi quae est habitus primorum principiorum ordinis practici, assurgimus quasi implicito ratiocinio ad quamdam confusam Primi Iudicis, Primi Legislatoris, Primi Boni, quod est Deus, notitiam et ipsius existentiae aliqualem cognitionem. Sed omnia haec nihil explicite, philosophice, ac rigore scientifico concludunt, nisi reducantur ad unam vel alteram ex quinque viis. Quid ergo mihi loqueris de cognitione legis et de obligatione legis servandae, nisi antea mihi ostendas existentiam Legislatoris et existentiam ipsius Legis aeternae, cuius participatio in rationali creatura lex naturalis et dictamen practicae rationis vocatur? Mirum sane, quod Kant et Kantiani omnes ita extollant vim huius argumenti pro existentia Dei demonstranda, cum viam Primi Motoris et viam Primae Causae et viam ultimi Finis tamquam nihili parvi pendunt vel reiiciunt! Cognitio legis et obligationis consequitur cognitionem illius, qui est Primum Movens et Primum Intelligens et Primum Nolens et verus ultimus totius humanae vitae finis. Et quidquid confuse, quidquid implicite ac virtualiter mens nostra antea valet concipere circa existentiam alicuius Ordinatoris vel Legislatoris, enucleatur et vere exponitur et in scientifica disciplina traditur, cum fit reductio horum omnium ad illas quinque vias, per quas intellectus noster ascendit ad summum rerum omnium verticem, ad Deum, a quo omnia moventur, efficiuntur, mensurantur et ordinantur.

f) Ac denique argumentum ex existentia rerum imperfectarum desumptum nihil aliud est nisi via quarta, quae sumitur ex gradibus, qui in rebus inveniuntur. Minus bonum, minus verum et minus nobile est quid imperfectum per respectum ad magis bonum et magis verum et magis nobile; et magis bonum, verum ac nobile est quid imperfectum per respectum ad maxime verum, bonum et nobile, quod est maxime ens. Hoc argumentum exponitur a

Philosopho et a D. Thoma lib. 3 Metaph. lect. 15: „Actus est simpliciter prior potentia; sed potentia est prior actu tempore in eo, quod movetur de potentia in actum.“ Et sic oportet Primum Principium esse in actu et non in potentia, ut ostendit in lib. 12. Et lib. 1 c. gent. c. 16: „Omne igitur, quod est aliquo modo in potentia, habet aliquid prius se. Deus autem est Primum Ens et Prima Causa . . . Nullam habet potentiam admixtam, sed est actus purus.“

Observatio. Leibnitius (Theodic. I, 7) mutat naturam argumenti a D. Thomas expositi in via tertia ex contingenti et necessario. Etenim argumentatur sic: Mundus est contingens. Sed ratio sufficiens contingentis est necessarium et aeternum. Ergo ponendum est necessarium et aeternum extra Mundum. Atque haec propterea fuit causa, propter quam argumentum hoc, cui Leibnitz valorem tribuerat, a Kant tamquam nullius roboris reiicitur. Non est enim evidens contingentia totius mundi, et praeterea in conclusione ponitur ratio aeterni et extramundani, quae ex corruptibilitate aliquarum rerum non satis inferri videtur, quaeque videtur potius inducta ex argumento ontologico a priori. Et hinc occasionem assumunt etiam aliqui calumniandi veras probationes pro existentia Dei. Dicunt enim, quod non probamus existentiam Dei ex suppositione contingentia universalis mundi, et quod probamus postea circulariter hanc contingentiam ex ipsius mundi creatione. Sapienter ergo D. Thomas desumit argumentum tertiae viae, non ex contingentia totius mundi, quae quidem non est manifesta secundum omnes eius partes, et solum manifestabilis est per illas veritates, quibus postea infra qu. 44 et 45 ostendetur processus omnium entium a Deo per liberam creationem; sed ex contingentia manifeste propria aliquorum sensibilium seu aliquarum Mundi Corporei substantiarum.

Non est facile Dei existentiam melius demonstrare, quam quod fecit D. Thomas, nec securum velle quinque illas vias ab Angelico Doctore delineatas corrigere aut emendare.

V. Quinque viae, quibus Deum esse probari potest, et quaestio de physica praemotione atque efficacia intrinseca divini influxus in causas secundas.

Postremo oportet observare, quod D. Thomas asserit in responsione ad 2., videlicet a) „Necesse est ea, quae a natura fiunt, etiam in Deum reducere sicut in primam causam.“ b) „Similiter etiam quae ex proposito fiunt, oportet reducere in aliquam altiorem causam, quae non sit ratio et voluntas humana; quia haec mutabilia sunt et defectibilia. Oportet autem omnia mobilia et deficere possibilia reduci in aliquod primum principium immobile et per se necessarium, sicut ostensum est.“

Ea autem, quae fiunt ex proposito, sive ex ratione et voluntate humana, sunt omnes actiones humanae; sunt omnia, quae procedunt ex voluntate deliberata; sunt ipsimet actus, quorum homo est dominus per rationem et voluntatem. Unde et liberum arbitrium esse dicitur: „facultas voluntatis et rationis.“ (1. 2 qu. 1 a. 1 et 2.)

Homo utpote creatura rationalis et revera causa efficiens suarum actionum atque operationum; et proprium illius est, ut tendat in finem quasi se agens vel ducens ad finem. Et tamen D. Thomas conceptis verbis affirmat, quod „etiam quae ex proposito fiunt, oportet reducere in altiorem causam, quae non sit ratio et voluntas humana“.

Ergo ratio et voluntas humana, sive homo agens, movens, et operans libere, est movens motum; est agens actum; est efficiens ac causans, effectum ac causatum. Liberum itaque arbitrium hominis est causa media, quae collocari debet in prima, secunda, tertia, quarta et quinta via. In prima, quia movet motum; in secunda, quia agit et agitur; in tertia, quia mutabile, defectibile ac contingens est; in quarta, quia libere agere magna perfectio est et est liberum per participationem; in quinta, quia, cum agnoscat rationem finis, ducit se in finem ac simul ducitur.

Haec autem altior causa, sub qua omne liberum arbitrium operatur, est Deus, Primum Liberum movens immobile, a quo omnia libere se moventia moventur; Primum efficiens Liberum, quod est causa omnium liberorum in libere causando atque efficiendo; Primum Liberum omnem contingentiam excludens atque mutabilitati et defectibilitati reliquorum liberorum subveniens; Maximum Liberum,

et consequenter quia maxime tale in perfectione libere agendi, causa omnium, quae sunt huius generis, scilicet liberae determinationis ad agendum liberarumque omnium operationum atque electionum; et supremum Liberum, quia supremum intelligens, a quo et ipsa libere agentia propter finem, ordinantur ad finem et transmittuntur in finem vitae aeternae „sicut sagitta a sagittante mittitur in signum“. (1 P. qu. 22 a. 2 ad 4 et qu. 23 a. 1 in corpore.)

Iam vero: a) „Causa Prima plus influit in effectum quam secunda.“

b) „Impressio Causae Primae tardius recedit ab effectu.“

c) „Prius ei advenit.“ (D. Thom. lib. de causis lect. 1.)

d) „Virtus Causae superioris et virtus virtutis causae inferioris.“ (Ibid. lect. 9.)

e) „Virtus sua (Dei) est medium coniungens virtutem cuiuslibet causae secundae cum suo effectu; non enim virtus alicuius creaturae posset in suum effectum nisi per virtutem Creatoris, a quo est omnis virtus et virtutis conservatio et ordo ad effectum; quia ut in libro de causis dicitur, causalitas causae secundae finaliter est per causalitatem causae Primae.“ (Lib. 2 Sent. dist. 1 qu. 1 a. 4.)

f) Quidquid est in actu de ratione actus et entis et boni, totum hoc a Primo Agente, scilicet Deo, mediante voluntate. Deus influit agenti esse, posse et agere et quidquid perfectionis in agente est. . . . Utrumque agenti influit Deus, et ut agat et ut bene agat.“ (Lib. 2. sent. dist. 37 qu. 2 a. 2.)

g) Quando sunt multae causae agentes ordinatae, si considerentur quantum ad virtutem, quae est principium operationis, quanto causa est magis prima, tanto est magis immediata, eo quod agens secundum non agit, nisi in quantum est motum a Primo, et secundum quod virtus Primi est in ipso. — Et inde est, quod quia Deus est agens primum, ipse immediatius se habet ad quamlibet operationem naturae quam aliquod agens naturale. . . . Virtus enim superioris est quasi medium, per quod operans suae operationi coniungitur.“ (Lib. 1 Sent. dist. 12 qu. 1 a. 3 ad 4.)

h) Primi Agentis virtus est immediatissima. . . . Unde patet, quod cum Deus sit prima causa omnium, sua virtus est immediatissima omnibus.“ (Lib. 1 Sent. d. 37 qu. 1 a. 1 ad 4.)



i) „Sic ergo Deus est causa actionis cuiuslibet, in quantum dat virtutem agendi et in quantum conservat eam et in quantum applicat actioni et in quantum eius virtute omnis alia virtus agit.“ (De Pot. qu. 3 a. 7.)

k) „Causa agens prima agit in effectum causae secundae agentis vehementius quam etiam ipsa causa secunda.“ (Lib. 2 c. gent. c. 89.) „Complementum virtutis agentis secundi est ex virtute Agentis Primi.“ (Lib. 3 cap. 66.)

l) „Quantumcunque natura aliqua corporalis vel spiritalis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere nisi a Deo moveatur.“ (l. 2 qu. 109 a. 1.)

m) Cum aliquid movet seipsum, non excluditur, quin ab alio moveatur, a quo habet hoc ipsum, quod seipsum movet; et sic non repugnat libertati, quod Deus est causa actus liberi arbitrii.“ (Quaest. Disput. de Malo qu. 3 a. 2. ad 4.)

Ergo controversia de physica motione ac de efficacia intrinseca divinae gratiae est intime, arctissime ac necessario connexa cum quinque viis, quibus Deum esse probari potest.

Praemotio enim physica nihil aliud est, nisi 1. Virtus Agentis Primi complens virtutem agentis secundi; 2. Motio, a qua voluntas humana habet hoc ipsum, quod seipsam moveat; 3. Virtus virtutis causae inferioris; 4. Medium coniungens virtutem cuiuslibet causae secundae cum suo effecto; 5. Influxus Dei, quo voluntas humana procedit in actum suum, et a quo habet, et ut agat et ut libere agat, et ut bene agat; 6. Virtus Causae Primae plus influens in effectum quam secunda causa et tardius recedens ab effectu et prius ei adveniens; 7. Causalitas Causae Primae, recepta in potentia agendi ipsius causae secundae, et mediante causa secunda ingrediens vehementius in ipsum causatum; et per quam est finaliter ipsiusmet causae secundae causalitas. Quoniam impossibile est causae secundae sive mediae causalitatem compleri ac perfici, nisi sustentetur in causalitate Causae Primae, quae est Deus. Unde lib. 3 c. gent. c. 17: „Causa Prima est magis causa quam causa secunda; nam causa secunda non est causa nisi per Causam Primam.“ Et de Verit. qu. 22 ad 2: „Secunda causa non potest influere, nisi in quantum recipit virtutem Primae Causae. . . . Deus propter hoc, quod est Primum Efficiens, agit in omni agente.“ Et de Potent. qu. 3 a. 4: „Causa secunda non agit nisi ex influentia Causae Primae.

... Omnes secundae causae agentes a Primo Agente habent hoc ipsum, quod agant.“

8. Unde physica praemotio est motio illa descendens per primam viam a Primo Motore immobile, a quo omnia moventur et reducuntur de potentia in actum; motio illa descendens per secundam viam a Prima Causa efficiente, a qua omnes causae actuantur atque efficiuntur et complentur in ratione agentis; motio illa descendens per tertiam viam a Primo Necessario, a quo omnis vigor atque efficacia emanat; motio illa descendens per quartam viam a Maximo Ente, a quo fluit omnis actus ac perfectio actus ipsius; motio illa descendens per quintam viam a Primo Inteligente, sub quo ordinantur omnes intellectus et voluntates sicut instrumenta sub principali agente, et omnia in finem perducentur. Deus enim dat, conservat et applicat virtutem omnium rerum ad agendum; et quamvis Causa Prima influat uno influxu super omnia, diversi modo tamen influxus eius in diversis rebus recipitur. (Lib. de Causis, lect. 20; de Potent. qu. 3 a. 7.)



## DAS ANGELISCHE WOLLEN.

VON FR. WILHELM SCHLÖSSINGER O. P.



Um das Wesen und die Betätigung der Willenspotenz des Engels näher zu bestimmen, zu erklären und zu fixieren, bedarf es sozusagen eines viel größeren Weges, intensiverer geistiger Arbeit, als dies notwendig ist, die Erkenntnispotenz des Engels und deren Betätigung zu erläutern. Wir, auf die unvollkommene, abstraktive Erkenntnis angewiesene Menschen können bei der Erkenntnis der Engel nicht sagen und zwar a priori: Der Engel muß eine vollkommene Erkenntnispotenz solchen oder solchen Grades haben und dieser seiner vollkommenen Erkenntnispotenz muß dieser oder jener Grad vollkommener Erkenntnis entsprechen; und unser Erkenntnisvermögen mit seiner Betätigung wird als schwaches Abbild des angelischen Erkenntnisvermögens derartige Qualitäten aufweisen.